

Apud Cim-
merios
dies valde
contracti.
Cimmerii
pro furibus
& ebriosis.
Somnium
quid sit.

Triples
somnia
genus.

Vulgi &
principum
somnia di-
versa.

Mergus
cur se de-
mittat in
fundum.

runt, quia specus magis quam domos incolebant: deductisq;
caniculis sub terra diversabantur, homines furtis ac la-
trociniis assueti. Orpheus in Argonauticis etiam meminit
Cimmeriorum: sed eos ad Septentrionem collocat, in locis
ad Bosphorum sitis inter Riphæum & Calphium altissimos
montes umbris & nebulis tectos. Constat autem vere Cim-
merias tenebras esse in Islandia & Philappia, ubi bruma-
les dies adeo sunt contracti, vix ut lux compareat. Nam
in Livonia dies circa brumam est non multo longior tribus
horis. Sunt alii quoque Cimmerii qui nullam unquam lucem
conspiciant: nempe homines ebriosis, quorum hic ad septen-
trionem infinitus est numerus. Hi noctu in cellis vinariis
perpotant, & interdum dormiunt. Recte igitur Ovidius
somnia domicilium adificat apud eiusmodi homines crapula
& somno deditos.

MONS CAUVS] Somnia sunt imagines quae fiunt in
somnia per spiritus varie discurrentes in cerebro. Sunt e-
nim spiritus instrumenta cogitationum; ac plerumque somnia
de iis offeruntur, quae vigilantes saepe cogitamus. Fingit
autem Ovidius triplex somniorum genus: unum quod ra-
tionis genus imitatur, ut sermonem ac cultum: huic no-
men Morpheo. Aliud quod representat animata quidem,
sed ratione carentia: huic nomen Acelos, quia simul et
formam animantis. Tertium genus est plane phantasti-
cum, quo inanimata representantur. Verum quia cogi-
tationes magnorum hominum aliis in rebus versantur,
quam cogitationes vulgi, diversis quoque somniis & non
vulgaribus ipsi Reges ac principes luduntur.

FAB. XI. HOS ALIQUIS &C.

De Aëaco in Mergum.

De Mergo cur subinde se demittat in fundum, etiam
alia narratur causa, quam Ovidius hic fingit. Nam in
Apologis traditur fuisse negotiator, & naufragio amisisse
merces; idemque nunc obsidere littora ac se mergere in
fundum, sicuti inveniat merces suas, vel in litibus eje-
ctas, vel in fundo haerentes.

F A B Y